

*De studiis Ordinis equestris  
hominum.*

AD  
SOLEMNEM ORATIONEM,  
MEMORIAE  
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
AVGVSTI IVSTI,

CANCELLARII OLIM MERSEBVRGENSIS GRAVISSIMI,

CONSECRATAM,

FVTVRO DIE IOVIS,

D. XXVI. IVN. CIOIOCLXVI.

HOR. VIII. MATVT.

PVBELICE AB SE HABENDAM

OFFICIOSISSIME ET HVMANISSIME

INVITAT

ADAM DANIEL RICHTERVS;

GYMNAS. DIRECT.

ZITTAVIAE,

LITERIS STREMEIANIS.





uoniam, teste Seneca, haud atrium plenum imaginibus fumosis, sed animus nobilem facit, sequitur omnino, ut semina perfectionum in generatione proli instillata latens et occulta res sint, nisi cum dei benedictione bona disciplina, multusque labor et studium accefferint. Longe enim pulchrius est parari, quam creari nobilem. Neutiquam uero haec sapientum disputatio contra antiquissimum usum insignium instituta est, quum bene cognitum sit, quod nobilitas e militia ueterum Germanorum ad nostros Equites defluerit, sed illud modo docere uolunt, quod in nostris expeditionibus bellicis nunc longe alia, quam olim, ratio obtineat, et quod in generosis nostris hominibus major aspectus peritiae, eruditionis et morum, quam uirtutis et fortitudinis nostra quidem aetate habendus sit. Olim uires, corpora magna et magnus animus requirebantur, ut intrepidi et furiosi essent, crudeles milites, rapaces, iam uero consociatio bellicarum rerum cum doctrina et artibus duce et militem perfectum reddunt, ita ut Mars noster maximam partem eruditus sit, sine uita dissoluta, sapiens et consultus in agendo. Deinde fortitudo non cuiuslibet Nobili stemmate nato innascitur, nec etiam semper bellum est, Princeps autem tempore pacis amicis et sapientibus uiris semper opus habet, quos gubernaculis rerum admoueat, ita ut Nobiles eruditi non minus utiles patriae sint in consulendo, quam in protegendo unquam milites facti. Rure etiam in agro et in rebus Oeconomicis usus multarum disciplinarum tanta amplitudine uenit, ut uir Generosus eruditione instructus in rebus suis omnia magis feliciter praestiturus sit, quam multi alii, qui ignari et rudes sunt.

Tantum uero abest, ut studia hominibus Equestri Ordinis deonestamentum adferant, ut potius connubium Equestri Ordinis cum studiis litterarum sicuti utilis et necessaria, sic etiam gloriosa et honesta res existat. Praeter alios enim generatim in Generosos homines conuenit eruditum pectus, linguam sapientem, multam antiquitatis memoriam et multarum rerum magnam cognitionem habere, quo praestantiores aliis gloria generis esse solent, magisue praerogatiua sua alios et ciues antecellere audent aut gaudent. Nec enim una, quas omnis eruditio in suo ambitu doctrinas continet, ista natura est, quae inhonesti aliquid aut indecori secum ferat, sed omnes uiris etiam Illustribus dignissimae sunt, licet non omnes pari ratione, sed aliae magis aliae minus ad Ordinem Equestrem, quod ego quidem concedam, conducere ualeant. Consulandum igitur ante et despiciendum est Nobili gente natis, quum partes eruditionis ad usum uitae suae et ad culturam animi sui promouendam seligant, an aulae olim, an foro in aula, an



rebus bellicis in militia, an rebus domesticis in agro, an Ecclesiae in uita sua inferuire uelint et possint. Nam etiam Ordo Sacerdotalis Ordini Equestri haud indecorus est, siquidem unus et alter Generosus homo etiam nostra aetate apud nostros in suggestibus constituti sunt.

Ad omnes tamen, si uel hunc si uel illum scopum studiorum suorum constituant, pertinet imprimis, ut cogitationes suas ad res distinctius cognoscendas dirigere discant, ita ut ars cogitandi Nobili genere natos praesertim nobilitet. Quoniam uero multae assertiones in rebus domesticis et militaribus, nec non in aula, in foro aulae et alibi, Physicorum fundamentis superstrui solent, Physices studium Nobili etiam genere natis imprimis commendatur, ut non solum corporum uires, et quae ad usum hominum a natura paratae sunt, sed quae etiam noua alia quaedam ex rebus naturalibus praeparari possibile sit, explorare ualeant. Deinde Pythagoraci scite iudicauerunt, primum sapientiae opus esse, ut numeros sciant, qui sapere uelint. Vfus enim scientiarum Mathematicarum tum in aliis artibus, tum in tota uita humana, in aedificiis exstruendis, in arte militari, item in rebus oeconomicis magnus est, ut igitur studium Matheos Equestri Ordini satis insigniter honestum et utile sit. Et quoniam Generosa stirpe prognati homines saepissime hoc aut illud negotium suadere aut dissuadere iubentur, aut ipsi saltem sua sponte aliquando cupiunt, aliquid etiam de linguis et de arte dicendi dicendum est. Est igitur Iuuenis Nobili loco nati linguas eruditas, ut quasi lucerna sint in tenebris, praesertim uero linguas uiuas addiscere, quae non solum eruditionem iuant sed etiam Viris Generosis, Politicis et Militibus, nec non Generosis Agricolis rure in agro suo ornamenta sunt. Maxime autem ars dicendi tanta potestate et auctoritate est, ut Viri Nobiles non commode ualere possint in aula, in foro aulae, in legationibus, in bello et militia, immo in omnibus aliis locis, et in agro suo, nisi arte dicendi instructi sint et sermone maxime ualeant. Nihil est autem, quod tam deceat, quam in rebus gestis causas modumque, quo praesertim gestae sint, cognoscere, consilia et exempla, quibus uita formari potest, sapienter deligere, ita ut historia, lux illa ueritatis, maiorem splendorem hominibus Nobili Familia natis omnino conciliet. Taceo equidem de Geographia, de Chronologia, de Heraldica et de aliis, quae ab historia diuisa et separata nunquam esse possunt. Sed quum nimis longum foret, ire per singulas doctrinas, quae ad Ordinem Equestrem imprimis spectent, saltem Politicas, quae facit, ut semper uideant, quid conueniat statui rerum, solidam notitiam, nec non pragmaticam quandam et interiorem cognitionem historiae patriae, ut nouerint Constitutiones Principum in prouincia, et quid in ciuitatibus, oppidis et uicis iustum uel iniustum sit, quae-

FK II 9 555

ue olim quoque modo omnia gesta sint, adhuc indicatuisse sufficiant. Utinam igitur scholae publicae plures Nobilium ad numerum suum rursus adscribere possent, ingenium, quod nacti sunt, bonae rei capacissimum linguarum et artium doctrinis cum laude subjicientes, quum diu praefertim multi uiderint, quod doctrina domi et institutio in aedibus suis saepe non praeclare fatis procedere aut soleat aut possit. Iactis enim primum fundamentis solidis in schola bona cum spe futurae eruditionis ad academias discedere nobilium non ignobile decus est, cum esset aliud simulatum. Ita autem decus etiam redibit suum suusque honor ingenuis artibus, ut alii multi honesti uiri et diuites homines tandem scholarum publicarum obtrectatores esse desinant, quum ciuium pueri Generosos Iuuenes auctores et duces, quos strenua mentis alacritate insequantur, in scholis denuo habeant. Pauci enim anni sunt, quum plurimi Nobilium saepius tantos profectus fecerint in scholis, ut ob prudentiam et eruditionem suam magnam celebritatem nominis sui in orbe erudito consecuti sint.

Verum enim uero florent etiam in aliis gentibus studia litterarum ac scientiae adhuc inter Nobiles, id quod omnes nouerint, qui nouerint, quid geri soleat, ut saltem exemplum ponamus, apud uicinos nostros et alios externos, quantusque concursus Generosae Iuuentutis in regionibus Brandenburgicis, in terra Borussiae, in Anglia, Gallia, caet. undique ad scholas publicas singulis diebus esse soleat. Haud enim ex dignitate est, ut Nobilis natus sine praerogatiua sua sibi opera parata ueluti sepultus lateat, quoniam Nobiles, quum homines sane obscuro loco nati hoc commodi habeant, ut multos infortia eorum et uitia latere possint, semper in luce constituti hoc incommodi assequuntur, ut uita eorum et singula instituta omnibus profus cognoscantur, quae quidem res Equestri Ordini esse potest magnus stimulus doctrinae et uirtutum fortissima incitatio.

Quod autem musae cultores suos euehant, et uiam saepe ad immortalitatem nominis pandant, *Vir Illustris et Excellentissimus* quondam *Dominus AVGVSTVS IVSTVS, Cancellarius Merseburgensis Grauiissimus*, cuius memoria, quotannis in schola nostra celebranda, *solemni oratione crastina luce* debet renouari, suo exemplo docere potest. *Oratio nostra* breuiter commemorabit de rebus *primis et antiquis nostrae Superioris Lusatae*.

Opus equidem, quanto in pretio Zittrauia ciues suos magnos uiros factos habeat non ignorans, non esse putem, ut proluxa nunc inuitatione defungar, spero enim futurum, ut *MAGNIFICVS* atque *AMPLISSIMVS SENATVS*, uerbi diuini *VENERANDI PRAECONES*, et ut *OMNES VIRI LITTERATISSIMI, PATRONI, FAVTORES* atque *AMICI* splendida sua et beneuola praesentia illud officii *Beato Defuncto Gentique Ejus Illustri dare, nostramque Orationem*, ea, qua par est, obleruancia et humanitate rogati, illustrare uelint. P. P. IV. Trin.

MDCCLXVI.



MC



*De studiis Ordinis equestris  
hominum.*

AD  
SOLEMNEM ORATIONEM,  
MEMORIAE  
ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
AVGVSTI IVSTI,

RII OLIM MERSEBVRGENSIS GRAVISSIMI,

CONSECRATAM,

FVTVRO DIE IOVIS,

D. XXVI. IVN. CIOIOCLXVI.

HOR. VIII. MATVT.

PVBlice ab se habendam

FICIOSISSIME ET HVMANISSIME

INVITAT

DANIEL RICHTERVS,

GYMNAS. DIRECT.

ZITTAVIAE,

LITERIS STREMLIANIS.

